

Universidad Complutense (Alcalá de Henares)

Complutensis Vniuersitas paucis lectorem moratur.

[S.l. : s.n., ca. 1730].

Vol. encuadernado con 17 obras

Signatura: FEV-AV-M-01418 (03)

La obra reproducida forma parte de la colección de la Biblioteca del Banco de España y ha sido escaneada dentro de su proyecto de digitalización

<http://www.bde.es/bde/es/secciones/servicios/Profesionales/Biblioteca/Biblioteca.html>

Aviso legal

Se permite la utilización total o parcial de esta copia digital para fines sin ánimo de lucro siempre y cuando se cite la fuente







COMPLUTENSIS UNIVERSITAS

PAVCIS LECTOREM MORATVR.



SACRA Th. Th. PARISIENSIVM
facultas (cuius fasces , & maiestatem
stipes sit qui non suspiciat) Arche-ty-
pon fuit huius Complutensis , quæ vt
honoru aded in comparabili responde-

ret , arctissimam cum Parisiensi communionem , &
aluic semper , & quàm plurimi fecit , quam tamen inter-
turbatam doluit ab anno M. DCC. XVIII. Id quippe
temporis pestilentibus afflatibus limpidiſſima illa Sa-
pientiæ christallus nebulas in obedientiæ contraxit , re-
fragantibus nimirum Apostolicæ Constitutioni UNI-
GENITVS aliquot Parisiensibus DD. Tunc liqui-
dem , vt ostenderent Complutenses quanti esset ip-
sis nedum servare illibatam suam fidem , sed vel
labeculas suspicionis procul amovere , ad tempus qui-
dem , altissimùm tamen contristati præfatam commu-
nionem interscindendi passi sunt , donec transiret iniqui-
tas , quam brevi transituram sperabant : qua de re sanc-

tionem suam publici juris fecerunt, consciumque
 supremum Christi Vicarium per supplices litteras, qui
 & illos (quæ est Sedis Apostolicæ benignitas) litte-
 ris ad illos redditis muneravit. Quàm non fuerit ina-
 nis Complutensium spes, persuadeberis ex litteris
 (amantioribus, àn sapientioribus tute arbiter esto)
 Sacræ Parisiensium Th. Th. Facultatis, quæ hic ti-
 bi offeruntur, quibus, & appenduntur gratulato-
 riæ ad tantum Senatum, & ad SS. D. missæ. Res-
 cripti vero Apostolici copia tibi fiet, Lector, si
 (vt sperare iubet P. Sanctissimi in filios humanitas)
 tali solatio dignatos velit. Nec plura.





DECANUS, ET FACULTAS
 Theologorum Parisiensium Ce-
 leberrimæ Studij Complutensis
 Universitati salutem pluri-
 mam in eo, qui convertit lactum nos-
 trum in gaudium.



I IVXTA MONITVM SAPIENTIS,
curam habere debeamus de bono nomine,
 tum maximè, quùm famæ nostræ as-
 persam labem novimus in ijs, quæ re-
 ligionis, & fidei nostræ integritatem
 spectant, in quibus, vt ait Div. Hie-
 ronymus; *nefas est quemquam esse patientem.* Quùm igitur
 ex ijs, quæ statim ab obitu LUDOVICI XIV. in-
 victissimi Galliarum Regis in nostra Theologica Pari-
 sienti Facultate adversus Constitutionem UNIGENI-
 TUS à non nullis turbulentis tentata sunt, iste rumor
 infaustus de Parisiensibus Theologis per Universum
 Orbem Catholicum increbuerit: Decretum nem-
 pè, quod anno M.DCC.XIV. pro acceptanda, &
 observanda præfata Constitutione SS^{mæ}. memoriæ

CLEMENTIS PAPÆ XI. emisserant ; sub inde declaratum fuisse nullum , falsum , & adulterinum (quod tamen invictissimis argumentis ostendimus in actis nostris esse falsissimum) imò communi Magistrorum suffragio , renitentibus admodum paucis , inter iectam fuisse ad futurum generale Concilium scandalosam provocationem ; vno verbo : adversus Apostolicum Decretum ab Episcopis acceptatum , & promulgatum insurrexisse nihilominus totam Facultatem nostram , atque inde vulgò traducerentur Parisienses Theologi , non secus ac si , per stupendam animorum conversionem à priscis Maiorum suorum moribus , & ab antiqua , quæ huc vsque in ordine suo doctrina vigerat , planè recessissent , spreteque docentis ac iudicantis Ecclesiæ autoritate , quam *qui non audit , tanquam Ethnicus & Publicanus* , ipso pronuntiante Christo D. haberi debet , se solos aliter docentes esse audiendos iactarent , eorum ritu scilicet qui , vt soli sapere videantur , Coelum vituperant , & rerum novarum amatores , *quorum os abundat malitia* , sparsis vndequaque famosis suis libellis , tanquam toridem funestis flabellis , falsum hunc rumorem augere non cessarent , quem admodum hodierna die nec adhuc desinunt , adeò vt in istis florentissimis Academijs Catholicis nemo ferme foret , qui attendendo ad ea , quæ de nobis , sinistra fama renunciante , passim circumferbantur , & ex altera parte revocando in memoriam suam felicem præteritorum temporum conditionem

nostram, in hæc verba luctu ac moerore percitus non statim erumperet: *Hæcine est illa perfecti decoris Theologica Parisiensis Facultas, gaudium olim universæ terræ? Quomodo obscuratum est aurum? Mutatus est color eius optimus? Ad tot tantaque reformanda mala duximus strenuè ac fortiter esse allaborandum. Ut autem id præstaremus feliciter, intelleximus non satis sufficienterque consultum iri famæ nominis nostri, si quæ per summum nefas nebulosis temporibus inserta fuerant in Commentarijs nostris, & quæ evulgata falso rumori ansam, aliquodque fundamentum hæctenus præbuerant, planè, penitusque apud nos rescinderentur, & ijs substituerentur meliora; sed insuper oportere ad amoliendam hanc labem, acta quæcumque à nobis ea de re sancirentur, publici iuris fierent, ut quòcumque ad dedecus, & opprobrium nostrum rerum male gestarum iniquitas accesserat, ibi pariter ad resarciendum honorem nostrum, damni fortiter ac feliciter reparati notitia perveniret, nec minus hodie ad propulsandam gravem iniuriam, diffunderetur factis certissimis cognitio veritatis, quàm, ad conflandam turpem calumniam sese pravis artibus diffuderat antea propagatio falsitatis.*

Quapropter, quæ duo erant æquè necessaria; statim atque potuimus, eodem ferme momento præstitimus: alterum in quo agebatur *de statu nostro*, ut verbis utamur Sancti Augustini, necessarium erat nobis; *alterum*, quod erat *de recuperanda fama nominis nostri*.

nostri, necessarium alijs : Vtrumque debebamus æquitati, honori nostro, Religioni. Primò itaque vbi sese fausta obtulit occasio, cui iam dudum præstolabamur impatientes moræ, emendavimus quæ iam dudum debuissent emendari. Decretû latum anno M.DCC.XIV. suæ, vt par erat, sinceritati restituimus, & authoritati: atque, vt nihil deesset opere in tanto, & omnibus, quæ occurri possent incommodis consulere, nova sanctione, eaque priore authentica magis ac solemniori Facultas nostra declaravit die XV. Decembris ultimi in suis Generalibus Comitijis apud Collegium Sorbonæ congregata, amplecti se de novo Constitutionem **UNIGENITUS** tanquam dogmaticum Universalis Ecclesiæ iudicium, cui refragari nefas, cui non obsequi nihil aliud est, quàm velle partem habere cum ijs qui deforis sunt, nec ad Ecclesiam vltius pertinent. Adhibuimus cautiones, ne quid huic simile quod evenerat, de inceptis contingeret, neque ad gradus nostros Theologicos admitterentur nisi de quorum constaret apud nos fidei sinceritate, & obsequio, cæteris, quæ expendi solent non neglectis.

Hoc benè ac rectè sapienterque factum vobis profecto, SS. MM. videbitur, & illud idem valde fuisse non opportunum dumtaxat, sed planè necessarium iudicabunt quotquot sunt æqui rerum æstimatores. Neque enim sufficit præteritis aut præsentibus domesticis malis attulisse remedium; verùm prudentiæ est in posterum prospicere, & providere.

Aliud

Aliud supererat non necessarium minus, à quo
 exordium duxit præsens Epistola, quod similiter non
 censuimus omittendum, nempe ut non solum typis ad
 usum nostrum mandarentur acta nostra, sed etiam eo-
 rum exemplaria per Orbem Catholicum affatim spar-
 gerentur, & lata eam in rem expressa conclusione, vo-
 luimus ad insigniores Academias, quarum Catholica
 fides bonus est odor Christi in Ecclesia quantocyus
 nomine nostro mitterentur; nec dubitamus quin, pro
 vestra erga ordinem nostrum propensa voluntate, ad
 aspectum eorum, quæ, favente Cælo, novissimis istis
 temporibus feliciter gessimus, non plurimum gaudea-
 tis in Domino, nobisque velit ex animo gratulari. Ac-
 cedit ad istud bonum, quod à se magnum est, *descen-
 dens à Patre luminum, à quo fluit quodcumque donum est
 optimum*, quod ex quo prodijt Decretum novum diei
 XV. Decembris ultimi, sexcenti, & amplius numero
 Magistri, quos officiorum necessitas procul ab Urbe,
 & comitijs nostris disitos retinet, scriptis eximijs Epif-
 tolis, huic applaudere gestiunt, suaque suffragia nos-
 tris adiungere suffragijs glorientur, & singulis diebus
 accedant ad illud idem roborandum decretum ex va-
 rijs Orbis plagis certissima testimonia non inferiora
 prioribus, adedò ut exceptis adhuc non nullis numero
 paucis de sua nuditate confusis, qui suis privatis opi-
 nionibus abrepti à cæteris dissident, atque id circo
 tanquam viri turbulenti iussi sunt à Comitibus nostris
 abstinere, affirmare meritò iam iam possimus utendo

verbis Eutychiei Constantinopolitani in sua nomine XV. Concilij ad Vigilium Papan Epistola, *Submota confusione discordiæ, pacem reformasse Deum in ordine nostro, & collectos in unum Magistros unum idemque sapere in recta fidei confessione.* Quod sanè Catholicè sentientibus gratissimum esse debet, & multum habet in se non mediocris solatij.

Quid inde porro his acceptis nuntijs eveniet, SS. PP. ac Magistri? Illud certè quod nostræ impræsentiarum gloriæ plurimum inter esse non diffitemur: quæ in fausta de nomine nostro fortè apud vos etiam prævaluerant suspiciones, delebuntur; redibit pristinus favor, reviviscet præclara, quæ apud vos, ut alibi, floruerat olim nostri nominis existimatio. Docet Div. Augustinus lib. Confess. *Carandas omnes suspiciones, & in antecessum studendum, nè fingatur de nobis quidquid fingi potest, aut dici, quantò magis ubi tam noxiæ suspiciones obtinuerunt, nec defuit, proh dolor! aliquod fundamentum, ut obtinerent?* His ita positis, nullus est in nostris evulgandis operibus superbiæ typhus metuendus, nulla jactantia, ostentatio nulla, quia vera inest loquendi, ac scribendi, & quæ scripta sunt evulgandi necessitas. Scimus quædam esse opera bona, quæ ne fiant coram hominibus, sed in abscondito Divina nobis præcipit in Evangelio Christi D. sapientia, ad quod attendens præceptum S. Basilii rectè Christianos admonet *inanem gloriam esse fugiendam, quam dulcem bonorum operum*

spoliatricem non minus verè quàm eleganter nuncupat. Verùm sunt alia tamen bona opera, quæ, iubente eodem novæ legis Authore Christo, *lacere debent coram hominibus, ut illa videant, & glorificent Patrem, qui in Cælis est.* Non sunt hæc duo inter se pugnancia, si attendamus ad diversam operum indolem, & eorum naturam, de quibus sermo est, nec non, & ad conditionem temporum, in quibus nunc versamus, & sumus positi; maximè verò si quæ manifesta fiunt, & evulgantur; eo bono ac recto fine prodeant, quo acta nostra Typis recens edita, ad celeberrimam Academiam vestram mittere satagimus. Nostrum ergo non improbitis consilium, MM. SS. ex quo mentem nostram noveritis. Vehementer cupimus in amicitiam redire vestram, si forsan ab illa excidimus: nihil magis cordi est, quàm Academiæ vestræ, quæ cæteras inter multiplici titulo eminet, antiqui amoris vinculo, & *Catholicae fidei communionem consociari*: vnde confidimus futurum, ut manusculum illud nostrum, quale est, ingratum vobis non sit. Erit certè in signum ære perennius, & pignus authenticum illius observantiæ singularis, qua vos, Illustrissimumque Ordinem vestrum impensè colimus, ac veneramur.

Valete, SS. Th. Th. *Crescentes semper in scientia Dei, veritatem facientes in charitate: coniunctis viribus consortemur in Domino, & in potentia virtutis eius ad destruendam omnem altitudinem extollentem sese adversus scientiam Dei: verbum vitæ contineamus ad consummationem*

nem Sanctorum in opus ministerij ad edificationem Corporis Christi. Pax vobis, fratribus, & charitas cum fide à Deo Patre, & Domino Jesu-Christo. Gratia cum omnibus, qui diligunt Dominum nostrum Jesum-Christum in incorruptione Amen. Datum Parisijs in Comitijs generalibus Kalendis Septembris. Anno reparatæ salutis humanæ supra millesimum septingentesimum trigésimo.

S. De Romigny.

De mandato D. Decani, & Magistrorum

Sac. Fac. Parisiensis

Herissant

Scriba.



COMPLUTENSIS UNIVERSITAS

S. THEOLOGORVM

PARISSIENSIVM

FACVLTATEM

nunquàm pro dignitate laudandam Resalutat in
Domino, qui exhortetur corda eorum, & con-
firmet in omni opere, & sermone bono.



ACCEPTIS SVAVISSIMIS, IVXTA
àc disertissimis literis vestris, facti
sumus sicut consolati: Nunc repletum est
gaudio os nostrum, & lingua nostra exul-
tatione: Nunc quæ quondam semina vi-
mus,

mus in laebrymis (nec parcè sed de benedictionibus) de
 benedictionibus in exultatione metimus. Quia enim patie-
 bamini vos , compatiebamur , & nos ; quia verò Dei dono
 glorificatur præclarum adèd membrum , congaudemus nos ,
 ut amantissima membra. Quis enim , Sancti Fratres , &
 dilecti Deo , quis dubitet , nos uno spiritu vegetari , nisi ,
 qui non sentit , qua nos dilectione vinciamur ? Quare , &
 secundum multitudinem dolorum in corde nostro , consolationes
 Dei lætificant animas nostras. Conticuerat versa in luc-
 tum cythara nostra ; & salicibus tristibus suspendimus or-
 gana nostra ; resumimus tamèn psalterium jucundum cum
 cythara in insigni die solemnitatis vestræ , quam iubet
 amor , censeamus , ut nostram. Nunc , nunc (ingemi-
 nare namquè licèt , & libet) nunc , quia dicunt inter
 Gentes : Magnificavit Dominus facere vobiscum , facti
 sumus letantes , & quia magnificavit nomen vestrum , ut
 non recedat laus vestra de ore Hominum. Quia , deniquè ,
 vestra obedientia in omnem locum divulgata est , gaudemus
 in vobis. Benè igitur est , quod confiteamini bonam confes-
 sionem coràm multis testibus : Benè habet , quod non suf-
 ficiat vobis conscientia vestra , nec provideatis bona so-
 lum coràm Deo , sed etiàm coram Hominibus ; Nè tranquil-
 lam aquam bibentes in vestra conscientia , pedibus incau-
 tis agere convincamini , ut Oves dominicæ turbidam bi-
 bant. Non , equidèm , propriæ famæ aucupes , sed de
 Christi gloria solliciti , nec quæritis grandem , sed bo-
 nam famam , licèt sequentes bonam sequatur , & gran-
 dis ; Hoc enim verò virtutis opus. Dùm ergò in Domino

laudatur anima vestra, audiant mansueti, & latentur magnificantes Dominum vobiscum, & exaltantes nomen eius in id ipsum. Quid verò potiozem nobis lætitiã creaverit, eorum nẽ, qui in veritate steterunt, constantia, aliorumvè respicientia, non facillẽ statuerimus: Turpe est enim mutare sententiam; sed veram, & rectam: Nam, & stultam, & noxiam, & laudabile, & salubre est; Nisi ulterius (Quod pervulgatum omnibus est) crescunt difficili gaudia iurgio, & sequenti gaudio confert dulcedinem præmissa tristitia. Enim verò adducti nunquã fuimus, vt crederemus præclarum vestrum ordinem vndiquẽ deformatum: Cogitaret scilicèt Dominus dissipare murum præcellum, iamquẽ tenderet funiculum, nec averteret manum suam à perditione, atquẽ lugenti tristissimum antemurali, murus paritèr esset dissipatus, arietantibus inobedientum in aperto machinis, seù eiusdem cuniculatiã insidiantibus? Ineptissimæ hi fuerunt plebeculæ rumores; quos tamèn non morabamur probè conscij, quod fama, malum, quo non velocius nullum, mobilitate viget, viresque acquirit eundo. Persuadebamus, quod vos mundi eratis; sed non omnes: Quod in ista arca essent licèt aliquot, nimirùm bina, immunda animalia; plura tamèn manerent, septena scilicèt, de mundis, Deo proindè oblatu dignissima, sicut, & olim reliquit sibi Dominus septem millia Virorum, qui non curaverunt genua sua ante Babilã. Contristabamur quidèm de aliquibus purgamentis; consolabamur tamèn de pluribus ornamentis. Amurcam illam olivam vestri torcularis fastidiebamus; oleum verò, quo ad docen-

docendum univērsū Orbem ; *impinguantur capita vestra, impendiō suspiciebamus.* Interim memores, quod Ordinem nostrum glorioso titulo *vestrae imaginis* dignatum voluit gloriosissimus, iuxta ac Eminentissimus noster Parens, & Author, quid aliud egimus, nisi quod vestra nūc sententia, Magistri Consultissimi, vos ipsi ratum, & probatum facitis? Generosos, legitimos Parisiensis Aquilæ filios avitam Prædecessorum puritatem tenentes, mutuis amoris nexibus devinctum ire, nedū cupiebamus, sed amiebamus (id, quod ex actibus nostris publica luce donatis nosse in proclivi est) degeneres verò, & novitatum periculosarum amantes improbabamus, eorumque communionem, Cane peius, & Angue, horrebamus.

Non igitur tanta animis cœlestibus ira, ut lucernam vestram, tam de Ecclesia benemeritam, paterentur extinctam: Non certè inhorruit unda tenebris; Hoc Itacus velit, & magno mercentur Atreida: Et licet terrei, & maligni afflatus nebulas quasdam fulgoribus vestris interposuissent; Potius tamèn ipsos afflantes, & penè Ægyptios dira, veluti compede vinciebat, illis tantum supposita erat gravis nox; Hebraeis verò, & Dei cultoribus maxima erat lux; Interim tamèn induta es (ò Mater foecundissima) viduitatis vestibus, & licet neutiquam esses, facta es quasi Vidua Domina Gentium, moram faciente sponso, qui non nihil declina-verat, atquè transferat, tuæ adversus ipsum conjugalis fidei periculum facturus, atquè, ut surgens circuīres Civitatem, querens

quem

quem diligit anima tua. Patiebaris eos; qui retribuere mala pro bonis, sterilitatem animæ tuæ, & dum intra ipsum tuum uterum rixarentur Filij, cruciabar, & ferè dolens tuam foecunditatem, identidem inclamabas: Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere? Pergensque consulere Dominum, eundem expectabas confidentissima, qui salvam te faceret à pusillanimitate spiritus, & tempestate. Nec sponsus suavissimus passus est manere irritam constantem expectationem; quò (vestra reddimus verba) faustam iam obtulit occasionem. Refulsit Sol, qui priùs erat in nubilo, adferens vobis timentibus nomen suum sanitatem in pennis: Ad turrim olim nebulosam venit, & cum ipso potestas prima. Nunc jam, ò Iudith fortissima, & cui Deus contulit splendorem, exuïs te vestimento viduitatis, & te induis vestimento lætitiæ in exultatione filiorum Israel.

Sed sapientiæ vestræ consilium non probari non poterit nemini: Nempè usquè dum mitigaret Deus à diebus malis, non tam facto, quàm meditato esse vobis opus, æstimabatis: Sustinebatis in area vestra admixtas granis paleas, olim, spiritus divini aura reflante, ventilandas, ut purum putum frumentum in horrea vestra inveheretis. Zizania illa cum frugibus crescere tolerastis; nè simul eradicaretis, & triticum, sed albescens arvis, rogatus Dominus messis misit Operarios, quos inter eminere non dubitamus (liceat enim tanto nomine, cui laudando ieiunitas nostra non est, hæc literas honestare) Eminentissimum Dominum Floræum,

cujus laus est per omnes Ecclesias, ut horum ope metere-
tis purgatissimum triticum, ligatis Zizanniorum fascicu-
lis. Rumpebantur foerè, per schisma, retia vestra, in
quibus diversi generis pisces includebantur; Quia tamèn
erat ventus contrarius, & fluctus immanè sæviebant,
quibus navicula tantum non mergebatur, omnia que
vestra hysteron proteron trahebantur, laborantes cla-
mabatis ad Magistrum, qui providentissimè dormiebat,
vel ob id solum, ut opem illius oraretis, nil aliud cu-
pientis, nisi exorari, & potentissimo imperio facere tran-
quillitatem. O rem felicem! Iam enim excusso timore,
placida quiete donati, secus litus sedentes eligitis bonos
in vasa; malos autèm foras mittitis. Nunc iam, Sara
foecundissima, quæ ad tempus sterilitatem lugebas,
Ancilla Filium Ismaelem de domo ejcis, nè Isaacum Hæ-
redem, Parentum risum, & gaudium interturbet, dùm
illos ordine vestro submotos, & exauthoratos, veluti
capite minutos pronuntias. Sed, ut es in Filios indul-
gentissima Mater, & de eorum salute sollicita, à nobis
accipe, quæ (ut suspicamur) accipere vis, Adblandien-
tes igitur tuis desiderijs te hortamur, ut infirmos illos,
qui hætenus desipiunt, iterùm parturire pergas, donec
formetur Christus in illis. Non statim allidas ad petram
huiusmodi parvulos, qui circumferuntur fluctuantes omni
vento doctrinæ, & cum fuerint Magistri, rursùm indi-
gent, ut doceantur, quæ sint elementa exordij sermonum
Dei, facti, quibus lacte opus sit, non solido cibo: Qui de-
niquè è pacifica Ierusalem nati, gremio Babylonis con-

fusæ se se insinuarunt ; ipsi porrò hortationibus vestris
 suos allidant errores ad peiram Christum , & Apostolicæ con-
 fessionis. Tu te ipsa , vt ex vestris literis discimus , agnos-
 cis eos sua nuditate confusos ; sperandum proindè , vt ad
 suam nuditatem aperiantur oculi eorum , ad instar com-
 munitatis Parentis , qui in Paradiso , in portu scilicèt , fecit
 naufragium. Ramos fractos ex oliua fructifera à non
 sperandum inferendos tandèm à superno Agricola , qui pluit
 supèr Iustos , & iniustos , vt de correctione potiùs eorum
 congratulemur , quàm contristemur interitu ? Vtique aded
 eorum conclamata salus , vt in eis revocandis operam
 ludere , aut Æthiopas lavare , inter saxavè seminare
 æstimetis ? Meliora certè Deus , Magistri scientissimi !
 Nequè enim infoelici aded sydere nati , aut , è tam vi-
 li luto ficta gerent præcordia , vt hortationibus vestris ;
 tam fortibus , quàm suavibus , aures obturent ; quia
 potiùs ad infixos in limo profundi protende brachia , nè
 altius , & obstinatius infigantur. Parum est Matri aman-
 tissimæ ad debitam metam pervenisse ; Grande erit ;
 septa , & fossas transilire. Damnastis ; sed vt emenda-
 retis : Deportandos iustissimo scito decrevistis ; sed
 vt Patriam aliquandò suspirarent , quam contempse-
 rant. Quid tamèn , si ad meliorem frugem reducti ? An
 nè æternum claudendi Gyrae scopulis , parvaque Seriphos
 Mitius adspiret vobis Deus consilium , vt quandoquè
 de eis , post liminio reversis , vobis ipsis applaudatis.
 Hæc certè omnia è re vestra esse , vosque proinde op-
 portunè , aut etiam importunè exequuturos non d fite-

mur. Sed, & hortantibus vobis nos etiã succenturiatos accipite: Non quia consilia vestra non satis *vi propria valeant*, & *opis non indiga nostra*; sed quia potius nostra interest aliquid officij optatissimæ causæ impendere. Audite ergò (iam dissidentibus adloquimur) *legem Patris vestri, & Pontificis Summi, & nolite repellere consilia Matris vestra*, Parisiensis Theologiæ, *quæ vos gesta vit in sinu suo, & spiritualibus vos lactare, & enutrire Doo gestit uberibus, quam si audiat, coronam accipietis gratiarum vestro vertici.* Attendite ad lapicidinam, ex qua in doctrinam dolati estis, vt eandem firmitatem æmulantes, per retractationem minimè pœnitendam id ipsum sapiatis omnes. Incomparabiliter enim pulchrior est veritas Christiana, quàm Helena Græcorum. Pro ista enim fortius vestri Doctores, aduersus hanc Sodomam, quàm pro illa mille Heroes aduersus Troiam dimicauerunt. Quid autem miserabilius, quàm propter ipsum sapientiæ fontem sapientiam sitire? Nisi fortè miserabilius sit, nullam sitim sentire, quin & pernegare, & veluti hydro-phobia correptos, fugere fontes vnam tantæ egritudinis medicinam. Quod si pergatis (quod irremediabilibus lachrymis deprecandum) errorem vestrum errare, aut forsàn amare (ad te iam, Facultas famosissima sermo noster devolvitur) diris devovete perditissima capita. Si capta Civitas tenetur à Nabuchodonosor, nec Hieremiæ vult audire consilia, quin potius Ægyptum desiderat, moriatur in Taphnes, & ibi seruitute pereat sempiterna. Memor ultra non sit

nominum eorum per labia tua; Parum hoc: Nullum eis sit nomen, nec vel nominis umbra, sed a vulsum capite, & sine nomine corpus anathema sit perpetuae oblivionis. Si ferus Homo Ismaël è regione Fratrum suorum figat tabernacula, maneat illum debita ultio, & quandoquidem manus eius contra omnes, manus omnium contra eum.

Iàm verò ad exoptatam nobis metam properantes, quod scilicet pristina amicitiae vincula arctius innovemus, ex templo ad sumus, Ordo spectabilissime Parisiensium Theologorum: Quis enim tanto nomini non illicò reverens adfurgat? *Os nostrum patet ad vos, ò Parisienses: Cor nostrum dilatatum est ad vos: Pasis vlnis sinum nostrum protendimus, vt excipiamus vos honorandi potius, quàm honorandos. Amplectimur ad lobentes Urbem fortitudinis nostrae, fundatam in montibus sanctis, cuius vel portas diligit Dominus super omnia tabernacula Iacob, de qua gloriosa dicta, sed & perpetim dicenda sunt. Libanum, in quo tot Deus Cedros saturandas plantavit, in quibus passeris nidificabunt: Quàm verò proceras, Deus bonè! Quàm tendentes vertice ad auras! Et (quod caput rei est) quàm incorruptas, & carie erroris impenetrabiles! Tuam ergo, ò sapientiae munitissimam arcem, quae adificaris vt Civitas, optamus participationem in id ipsum: Istiuc enim ascenderunt antiquae tribus nostrae, non corporis gressu, sed mentis affectu, ad confitendum nomini Domini, quorum prementes vestigia, rogamus, quae ad pacem tibi, &*

abundantiam in turribus tuis, vn indè exundet diligentibus re. Sed id genus laudibus plùs nimio indulgere onerare potius, quàm ornare videbitur dignitatem vestram. Hoc igitur maneat vobis aita mente repostum, quod, si posset fieri, assumptis alis columbæ, vestris amplexibus implicaremur, semper quidem pro merito virtutum vestrarum, sed nunc maximè, quia cooperatoribus, & adiutoribus vobis, dogma pestiferum iugulatum est. Decretum est nobis, vos amare, vos suscipere, colere, mirari, vestraque dicta, quasi nostra defendere: Nec tamèn nobis novam aliquam amicitiam sumere, sed veterem charitatem, quæ sola etiàm reddita semper detinet debitorem; Sed & debitores vos etiàm volumus, atquè vt nobis impendatis enixè postulamus: Alia enim corruptibilia si cui dedamus, tunc ei benevolentiores erimus, si recipere non queramus; non autèm patet esse verus charitatis impensor, nisi fuerit benignus exactor.

Auctarium illud actuum vestrorum, typis excussum, quod esse vestri voluistis monumentum, & pignus amoris, auro habuimus contra non carum, & cartophylacium nostrum ditans, æternum perennabit; Nec amplius iam vos literis his moratos volumus. Pergite porrò, Magistri nobilissimi, purissimæ, & defæcatæ doctrinæ latices effundite. Impleantur aræ vestrae frumento, redundent torcularia vino, & oleo: Reddat vobis Dominus annos, quos comedit locusta, bruchus, & rubigo: Comedite vescentes, & saturamini: Laudate nomen Domini vestri, qui fecit mirabilia vobiscum, & non confunda-

23

itur Populus vester in sempiternum. Hisque æthereis donis munerati valete in rem vestram, in Gallicam, in nostram, in Ecclesiæ publicam. E nostro frequentissimo D. D. confessu, quarto Kalendas Novembris, Anno Christiano trigessimo post millesimum septingentesimum.

Doct. D. Ioseph Ruiz de la Madriz;
Maioris Div. Ildeph. totiusque Vnivers. Rector.

Doct. D. Michael de la Portilla,
Sac. Theol. Dec:

Doct. D. Petrus Argæz;
Dec. Sac. Can.

Doct. D. Didacus Escamilla;
Medicinæ Prim. & Dec.

Ex Vniversitatis Complut. præscripto,

D. Petrus de Haro S. Sora.
Tabellio.

122
Anno Christiano regnante nos. Millesimo septimo
mo. Die. con. festo, quarto Kalendas Novembri.
nostram, in Ecclesia publica. E. nostro repugnanti.
his munita valere in rem vestram in Gallias, in
tur. Paganus in. Jan. in. His. munitis. ho-

Doc. D. Joseph Rait de la Mancha
Mionis Divi Joseph conque Viveri, Rectori

Doc. D. Michael de la Portilla
Sac. Theol. Doc.

Doc. D. Ramon Argues
Dec. Sac. Can.

Doc. D. Ramon Escrivilla
Medicina Prim. & Dec.

His Venerabilis Com. in. prescripto.

Doc. D. Ramon Argues
Sac. Theol. Doc.

Doc. D. Ramon Argues
Sac. Theol. Doc.



SANCT^{MO.} D. N.
 CLEMENTI,
 DIVINA PROVIDENTIA
 PAPÆ XII.

COMPLUTENSIS UNIVERSITAS
 DEMISSA AD TANTI P. PEDES.

B^{ME.} PATER.



ANTIQUIVS NIHIL FVIT ; SED
 nec iucundius , & honorificentius
 huic nostro , aut verius tuo Ordini,
 quam reverens obsequium adversus
 istam Sanctam Sedem. Et forsan or-

dines alij, qui intra commissum tibi Gregem, solatio sunt tibi, feliciores fuerunt inter arma, vel quia saepius ab hostibus laesiti, vel quia contermini Moabitis, Idumæis, aliisque id genus Allophilis fortiter præliati prælia Domini, triumphos, manubias, aurumque coronarium Capitolio Romano, non quidem superstitioso Iovi, sed verissimo fulminanti iam sacro suspenderunt, de qua sanè felicitate nec inviti nec invidentes concesserimus; tantum filiali reverentia, & amore non vincamur: de hoc esse liceat confidentissimis, & iure canentibus: *Bella gerant alij; nos vero semper amemus*, Hæc nostris cordibus sententia altum insedit, humiliter, per amantem, avidè, insatiabiliter secus pedes Magistri audire verbum illius, & dum Martha pluribus occupatur, sanctè, & laudabiliter in Magistrum officiosa, vnum nobis æstimemus necessarium instrui, doceri, quippè quanto humiliter ad pedes Domini, eò amplius capiemus: confluit enim aqua ad humilitatem convallis, denatat de tumoribus collis: erit fortè, vt olim à Magistro audiamus elegisse optimam partem, nunquam nobis auferendam.

Id, si quando aliàs, fideliter præstitimus, P. Sanctissime, superioribus non ita pridem elapsis annis. Sanctissimus namquè in Christo P. CLEMENS PAPA XI. (cuius felicissima omnibus; tibi tamen vel maximè gratissima memoria) instruxit fulmine dextram; & dans metuentibus significationem, vt

fuge:

fugerent à facie arcus , illud contorsit in errores , providens nè configeret errantes. Sed vt sunt non nulli miserabilissima conditione , quippe qui errores suos perinde ac se ipsos amant , nec secum cogitant quod fulmina illa ardent quidem contra errores , sed & lucent pro errantibus , lumini rebellantes , de ardore conquesti sunt , & fere tentarunt Astra Gy-gantes. Fulgura illa fecerat in pluviam Deus : nec enim aliter terra nostra benignitati irriganti responderet fructibus , nisi fragoribus æthereis perterritus aper de sylva , ferusque singularis abstineret eam depascere. Vt tamen debacchantes illi , nobis vel nolentes palam facerent sese non arvis , non vineis , quibus plebem suam Dominus alit , sed infensissimo , & Domini , & plebis apro devastatori prospicere , terribilem ignem per summam insaniam contempserunt , dulcissimam lucem nè hili quidem fecerunt. Quam discerpserit hic dolor clementissima memorati Clementis viscera , notius orbi est , quàm vt enarrare opis sit nostræ ; posset tamen vt cumque premere altum corde dolorem , si extra ovile suum miserè constituti , quorum ipse non congregaret conventicula de sanguinibus , ferrum immane ejacularentur. Verùm fere noluit consolari anima sua vbi accepit (quam dolentes putidum vulnus refricamus !) è suo fidelissimo grege exurgere viros loquentes perversa , nec quoslibet , sed Magistros , qui , & abducerent Discipulos post se. Cuius verò

ordinis Magistros ? Nempè illius semper de Sancta Sede optimi meriti , honoribus proinde aucti , & cum primis dilecti , qui nullis vnquam servierat erroribus , quique Prædonibus , & Lupis Dominici gregis indefessè adlatrantes , fidelissimas Pastori Summo operas locabant ; licet , quæ est Dei pietas mortificantis , & vivificantis , à Magistris benè multis exciperetur totis vlnis , vt irrefragabile , sedis Apostolicæ iudicium.

Nos verò , P. Sanctissime , qui honori semper duximus strictiorem qua Parisiensibus Theologis vincimur , necessitudinem , quod , & non nunquam in aperto testatum voluimus , è re nostra esse putavimus abstinere ab omni communionis specie eorum , qui constitutioni *UNIGENITUS* debitam obedientiam detrectarent , nec detestarentur monstruosam ad Generale Concilium , quam nos odio plusquam Vatiniano prosequimur , provocationem. Has inter animi angustias Ordo noster veluti defectus esset lachrymis quibus pro causæ dignitate dolorem suum doleret , identidem clamabat : *quis dabit capiti meo aquam ?* Moneri tamen illico videbatur : *loquimini ad petram , & ipsa dabit aquas* , maturavimus igitur per literas nostras accessam ad lapidem vivum , quumque intrassent aquæ usque ad animam suam , effusa sunt aquæ largissimæ , sed & amarissimæ , quibus avidè poti , pleno lachrymarum imbri lamentabamur amissos , & tantum non

mortuos Parisienses illos fratres , sed quum ex istius Div. Petri Templi latere dextro perpes aqua manaret , mollescere ceperunt corda lapidea , sublatisque non sine ingenti , & jactura , & merore Christiani Orbis Sanctissimis CLEMENTE XI. & INNOCENTIO XIII. re nondum confecta ; postremis temporibus BENEDICTI XIII. (cuius ut nomen , ita memoria in benedictione est) caligo terræ iam scindebatur percusa solis spiculo , appetenteque die , dies alius illuxit P. Sanctissimo , sibi quidem felicissimus , infestissimus filijs , nisi Dominus diei malitiam mitigasset , providens nobis Virum iuxta cor suum , qui veniens , videns , vincens , unico veluti adpectu compescuisse videris fluctus. Nimirum , P. Beatissime , ortus es Sol & congregati sunt , & in cubilibus suis collocabuntur : exeunt , qui verè homines sunt ad opus suum , quod integrabunt usque ad vesperam , in qua desipientes (si advsque vesperam converti protelaverint) famem patientur ut canes. Accenderunt alij vigiles prædecessores tui lucernam , ut quærerent drachmam , quæsierunt lumine admoto ; Tu , P. Beatissime , gratularis inventam. Ut tamen de tam felici invento debite tibi congratulemur , qui olim a naritudinis , nunc lætitiæ , & iucunditatis aquas exposcimus , quas hauriamus in gaudio de fontibus Salvatoris , quibus sufficeris mirabilis dispensator , ut potemur torrente voluptatis , qua nunc mades , & statutis supra istam

confessionis petram pedibus nostris, super aquam
 refectionis educes nos, & fluentis illis quorum im-
 perus lætificat Civitatem Dei. Atque vt de inceptis
 vnanimis vno ore honorificemus Deum, vt veterem
 cum Parisiensibus ad te reducibus amicitiam conso-
 latiores instauremus, præventos nos velis in benedic-
 tionibus dulcedinis, quibus & habitare facias vnus
 moris in domo, atque vnionem nostram fortunes.
 Quæ dum expectamus, Deo offerimus ardentissima
 vota pro tua incolumitate, vt te velit sospitem gre-
 gi, cui agnosceris, alij verò erroneas audiant tan-
 dem vocem tuam, & è prædonum Luporum ricti-
 bus eruti, Domino, cui debentur, te ducente, res-
 tituantur. E nostra DD. frequentia, quarto Kalen-
 das Novembris, Anno Christiano trigessimò post
 millesimum septingentesimum.

Ad Sanctitatis tuæ, quos humillimè
 exosculamur, Pedes provoluti.

Doct. D. Ioseph Ruiz de la Madriz:

Maioris Div. Ildeph. totiusque Univerf. Rector.

Doct. D. Michael de la Portilla.

Sac. Theol. Dec.

Doct. D. Petrus Argæz:

Dec. Sac. Can.

Doct. D. Didacus Escamilla:

Medicinæ Prim. & Dec.

Ex Universitatis Complut. præscripto;

D. Petrus de Haro & Sota.

Tabellio.

conlationis petras pedibus nostris, super aquas
 refectionis educes nos, & huncis illis quorum in-
 petus facit Civitatem Dei. Atque ut de inceps
 vnamus vno ore honorificemus Deum, ut veterem
 tuae familiaribus ad te reduebis amicitiam conse-
 factores infirmos, praxentos nos velis in benedictio-
 tionibus dabitur, quibus & habere facias vni-
 mors in domo, sedue vniorem nostram fortiter.
 Quae hanc expectamus, Deo ostendit ardentissimam
 vos pro tua incolumitate, ut te velit saluam pre-
 gi, cui agnosceris, illi vero erone audiat can-
 dem vocem tuam, & benedictum laporem tibi
 por erit, Domino, cui darentur, te dante, re-
 tuerent. Et agerit, ut te vni, quanto Kalen-
 das Novembis, Anno Christiano millesimo post

millesimo...

Ad sanctissimam...

excoluntur...

Deo, B. Joseph...

Deo, B. Joseph...

Deo, B. Joseph...

Deo, B. Joseph...

Deo, B. Joseph...

Deo, B. Joseph...

Deo, B. Joseph...

Deo, B. Joseph...

confessione petram pedibus nostris, super aquam
 refectionis educes nos, & fluente illis quorum im-
 petus iustificat Civitatem Dei. Atque ut deinceps
 vram nos vobis hinc, & inde Deum, ut veterem
 cum Parisienses ad te reducantur amicitiam conso-
 lationem instauramus, presentos nos velis in benedictio-
 nis d'cedimus, quibus & habitare facias vnius
 noctis in domo, utque vniuersam nostram fortunam
 que dicitur existamus, Deo efficaciter ardentissima
 vote pro tua localitate, vte velle hospitium ex-
 cepti, cui agnosceris, alij vero serones audiant rati-
 onem vram non, & episcopo meo Laponea ricti-
 bus grati, Doctores, ut debentur, te docente, reli-
 quosque in vna die, frequentibus, quibus Kalen-
 das Novembrii, anni Christiani regni hinc post
 publicationem hospitalitatis.

Ad S. J. me, quos sumillime
 amantibus, sedes parvolorum.

Mag. B. J. de la Torre de la Medina

Mag. B. J. de la Torre de la Medina, Universi. Rector

Mag. B. J. de la Torre de la Medina

Mag. B. J. de la Torre de la Medina

Mag. B. J. de la Torre de la Medina

Mag. B. J. de la Torre de la Medina

Mag. B. J. de la Torre de la Medina

Mag. B. J. de la Torre de la Medina

Mag. B. J. de la Torre de la Medina, prescripso